



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, &
multiplicatur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

sio restitutionis est virtualiter acceptio rei alienae
næ continuata, invito Domino, ideoque fur-
tum continuatum contra præceptum negati-
vum, *non furtum facies*. Unde Conc. Gener.
Later. IV. c. 39. ait *non multum interesset*, pre-
sertim quoad periculum animæ, detinere injustè,
ac invadere alienum: & à Trident. sess. 25. c.
12. qui decimas non solvunt, res alienas inva-
dere dicuntur. Hinc mortaliter peccat, qui
notabili tempore omittit restitutionem, vel
solutionem integrum, quam potest facere,
vel etiam brevi tempore omittit, si inde cre-
ditor damnum grave patiatur. Quia tunc
graviter lœdit Ius alterius: nec excusat, eò
quod imposuerit hæredibus suis obligationem
restituendi, cum hanc ipse nunc habeat, & im-
plere teneatur. Adde quod sèpè hæredes
non restituant, ideoque periculum sit ne o-
mittatur restitutio: qui autem non potest re-
stituere, debet habere voluntatem saltem im-
plicitam restituendi, cum primùm faultas re-
stituendi aderit, & moralem diligentiam adhi-
bere ad hanc facultatem comparandam: qui
enim tenetur ad finem, simul tenetur ad media
ad eum necessaria. Qui vero non potest to-
tum restituere, tenetur statim restituere, ac
solvere partem quam potest, cum circa illam
non habeat justam excusationem.

*Q. 3. Quandonam peccatum injustæ detentionis
continuatur, & multiplicatur?*

*Resp. I. Qui non restituit, vel debita non
solvit, cum potest, & debet, actu peccat toto
tempore.*

tempore, quo id omittit: quia omissio resti-
tutionis, vel solutionis debitæ toto eo tempo-
re, quo fieri potest, est injuriosa proximo:
nam per illam continuè læditur jus, quod ha-
bet possidendi rem suam, vel sibi debitam, &
ea utendi; & talis omissio est sufficienter vo-
luntaria, cùm omissens possit, & debeat resti-
tuere, & ad hanc obligationem advertere.
Tunc enim si non restituit habet voluntatem
continuam saltem interpretativam detinendi
rem alienam, vel alteri debitam: quæ volun-
tas permanet moraliter, quamdiu non retrah-
etur, vel interrumpitur; sicut qui alium in-
justè conjicit in carcerem, & ibi relinquit, con-
tinuè peccat, quia continuè lædit jus proximi.

Igitur qui non restituit, cùm potest, peccat
actu singulis momentis, non quidem singulis
novum peccatum addendo, sed prius actu
continuando. Quod quò plus durat, eò fit
gravius ratione majoris liberæ durationis, vel
etiam majoris nocimenti, quod inde Domini-
no evenit, nisi tale peccatum detentionis in-
terrumpatur, & multiplicetur.

Resp. II. Iniquus detentor rei alienæ, vel
alteri debitæ, novum peccatum admittit, & sic
multiplicat numero peccata injustæ detentio-
nis. 1. Quoties habet voluntatem expressam
non restituendi; nam quilibet ejusmodi actus
est peccatum; & nihil est exterius in quo illi
actus uniantur, & continuentur, ad faciendum
unum moraliter actum. 2. Quoties inter-
fum-

Tom. II.

G

rum-

rumpit illud peccatum actuale detentionis, & postea advertit, vel advertere potest, ac debet ad obligationem restituendi, & tamen non restituit, cum potest: quia toties omissione restitutionis est ei saltē interpretativē voluntaria, & nova culpa. Interrumpitur autem moraliter per contritionem, vel propositum restituendi, per impotentiam restituendi, per somnum, vel longam distractionem, aut occupationem circa alias res: nam tunc volitio non restituendi non durat virtualiter eadem numero. Ex dictis sequitur iniquum detentorem teneri explicare in confessione 1. Totum tempus, quo suā culpā non restituit, vel non solvit, ut intelligatur gravitas peccati, & quantum fieri potest multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquivalens multis actibus interioris. 2. Numerum volitionum non restituendi, seu quoties admisit novum peccatum detentionis; nam tot sunt peccata numero distincta. 3. Quoties interim occasionem restituendi habuerit, & neglexerit, ut intelligatur multitudo actuum, seu omissionum exteriorum. 4. An Dominus ex illa detentione tristitiam magnam, vel grave damnum passus sit, ut intelligatur tota malitia detentionum.

Sed quid si detentor utatur re aliena?

Resp. I. Si Domino perinde sit, ut arisner suā, an eam apud te detineas otiosam, non magis peccas utendo, quam retinendo solum;

quod

quod si Dominus longè ferret ægrius usum, quām otiosam detentionem, eo quod res usu atteratur, vel periculo exponatur, tunc gravius peccas usu ejus rei, quām nuda detentione: nam plus est cæteris paribus uti re aliena, quām eam nude detinere invito Domino, ac proinde major est injuria. 2. Si res apud te facta sit deterior, ita ut prudenter judices, Dominum eam non amplius velle, sed potius pretium ejus; non peccas eā utendo, aut eam destruendo, quia hoc non facis invito Domino. Peccas tamen, ejus pretium non restituendo, cūm primū potes.

CAPUT III.

De Radice obligationis restituendi.

Q. I. **U**Nde oritur obligatio restituendi?

Resp. Ex quatuor Capitibus scilicet I. Ex iusta acceptance, qua intelligitur iusta, & culpabilis rei alienæ ablato, retentio, vel damnificatio, ex cap. ult. de Injur ibi: *si culpā tuā datum est dāmmum, vel iñuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitiā tuā sive negligentia evenerunt, jure super his fatisfacere te oportet.* Nam jus per injuriam auferri nequit: ergo in eo, cuius res ablata, vel destruta est, semper manet jus ad illam habendum, vel ejus pretium, quod est res æquivalenter: ac proinde manet in altero obligatio-